



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Summæ Card. Toleti

Minucius, Genesisius

Sammieli, 1613

De fraude, ratione rei venditæ cap. 49.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41701

num emergens in vendendo, non tamen potest vendere utilitatem, quam qui emit, accipiet ex redempta supra illius valorem, damnum enim est emptoris, sed utilitas, alterius, & nullus vendere potest, quod suum non est.

De Fraude ratione rei vendite.

Cap. 49.

TRiplex fraus in re vendenda esse potest, in rei substantia, ut si quod non est, vendatur pro eo quod est, ut quod non est aurum, pro auro: in quantitate, ut si quod non est tantum, vendatur pro tanto, in qualitate, ut si quod non est tale, pro tali, vendatur. Vendere rem vitiosam tanti quanti non vitiosam, est peccatum mortale, & obligat ad restitutionem, nisi materia leuitas, aut venditoris ignorantia excuset: si autem vitium est manifestum, & emptor

illud aduertere poterat, non tenetur venditor, qui rem vitiosam vendit, vitium emptori propalare, debet tamen iustum precium detrahere ratione vitii, & si vitium illud esset in graue damnum emptoris esset peccatum mortale, non quidem contra iustitiam, sed charitatem, illud non aperire si. a. emptor non poterat aduertere, vel ex ignorantia, aut alia iusta causa, debet de vitio rei, eundem admonere. At si vitium occultum fuerit, non licet semper iustum pretium accipere, vitium tacendo sed si fuerit in graue emptoris damnum, vel alterius, vt si eam esset reuenditurus, erit etiam manifestandum. Vltimo dicimus emptorem teneri venditori ignorantii rei venditæ, vel vendendæ valorem manifestare vt si rusticus gemmam magni pretii vendat, cuius pretium ignorat: alioquin pecc. mortal. & esset restitutioni

obnoxius. non currit eadem ratio de emptore vineæ, sciente in ea thesaurum absconditum, quia planities est, quæ venditur, & terræ superficies, non quæ in profundo latent, vt S. Thom. 2. 2. q. 66. 2. ad secundum.

De fraude ratione modi vendendi. Cap. 50.

FRaus in modis vendendi, & emendi, tribus his sequentibus conclusionibus manifestatur. ^oPrima, Venditor, cum credito vendit, potest exigere summum pretium, quod non exigeret, si numerata pecunia venderet, & licet etiam emptori emere viliss. pretio iusto, quando anticipata emenda quæ medio vel summo vendi possent, extra talem anticipationem. ^oSecunda. Non licet ultra totum iustum pretium rem vendere, quæ credito venditur, nec licet emere